QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis Diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quarto Aprilis.

M. CLAUDIO GUERIN, Doctore Medico, utriuſque Pharmaciæ Profeſſore, Præſide.

An alimenta eò ad coquendum faciliora quò propiùs ad ventriculi temperiem accedant?

I.

SI nihil de partium noſtrarum ſubſtantia decederet, nulla ſumendi cibi neceſſitas eſſet, nullave fames naturæ conſentanea. Verùm qui in generationis primordiis viget igneus calor, corpuſque coagmentat, partes ſolidas fingit, iiſque incrementum affert, donec oſſa ductilia ſunt; calor ille vitæ opifex, humidum primigenium, cui una cum ſpiritu inſidet, continuò depaſcitur. Idcircò * alimento nutriente, quaſi nutriente, & nutrituro opus eſt, ut quod diſſipatur, utcunque inſtauretur, ſicque retardetur marcor, ſtirpium ariditati perſimilis. Alimentum autem nullum confici integrè atque omninò poteſt. Hinc altera interitus noſtri cauſa, quæ illum accelerare haud paulo plurimum ſolet, inevitabilis excrementorum proventus. Supremus vitæ dies nec optandus, nec metuendus eſt. Sed nihil acceptius quam omne tempus ætatis ſine moleſtiâ poſſe degere, & naturalem vivendi finem attingere, qui accidit, cum certâ mente integriſque ſenſibus, opus ſuum quæ coagmentavit, eadem natura diſſolvit. Ad vitæ curſum quem natura dat, & quem ipſa ſponte deficiens terminat, peragendum, oportet impigrum eſſe ad laborem, ciborum eſui prævium, ſe cibis non ingurgitare, eoſque eligere qui ad coquendum faciliores fuerint, ſeu cauſæ chyloſeos effectrici accommodatiores.

I I.

NULLUM alimentum naturæ noſtræ prorſus ſimile eſt. Quodlibet coqui poſtulat, ut aſſimiletur. Vera & proxima aſſimilatio quâ ſic alteratur, ut partis temperiem & formam induat, nutritio eſt. Partes omnes ſanguine nutriuntur. Is non incaſſum in oſſium cavernulis reperitur, quæ ſaturo rubore inficit. Nec fruſtrà cranium ſubit, quo deraſo exudans cernitur. Supponantur tenui ſanguine alen-

* Triplex illud *alimentum*, ex Hipp. lib. de Diæta.

525

dæ partes, vasa obtinuisse densioribus contexta tunicis, crasso rarioribus, serum tenuius quocunque sanguine facilius ipsa permearet, nec ulla pars frueretur alimento conveniente, nisi ipsum traheret accommodatè ad eam temperiem & formam quas à mistione elementorum accepit. Erasistratus * & Herophilus primarum qualitatum crasim nutritionis rectricem exosi, in farciendis ulceribus dogmata sua prodere, & empiricos turpiter sequi, ac cum iis mentis luce seu ratione destitutis cœcutire cogebantur. At seduli temperiei scrutatores, qui corporum & medicamentorum qualitates norunt, non modo remedia siccantia corporibus ulceratis aptant, sed etiam plura morbo adversa temperando, salutaria reddunt. Ulcus v. g. cavum, mediocriter siccari postulat, ideoque oleum & cera quæ non desiccant, ulcus inquinant & sordidant. Ærugo vero cum dolore erodit, inflammat, & liberaliore usu convulsionem excitat. Hæc tamen tria commista mediocriter siccant, & ulcus ad sanitatem perducunt. Assimilatio remota est ea quâ ventriculus è cibis extractum succum, in chylum convertit, seu è cibis chylum generat; quod est corpus liquidum, album, subdulce, coagulationis capax, in sanguinem commutabile. Quo alimenta nutritura seu cibi, chyloseos effectrici causæ ea assimilare nitenti magis obsecundant, eo ad coquendum faciliora censenda sunt. Ipsa flatus, ructus, fluctuationem, ventriculi gravitatem, nauseam, vomitum, spirandi difficultatem non pariunt. Ipsa cedunt in laudabilem sanguinem, qui vires & colorem alit. Ipsorum usum fœlix nutritio, sanitas seu functionum omnium integritas, & naturalis pulchritudo consequuntur.

III.

PARTIUM consimilium temperies, earum sensibilis forma, in alimentum, quasi nutriens, seu sanguinem inducenda, nutritionis terminus est; ac proinde principium appetitionis, attractionis & coctionis. Ideo à sanis, etiam ex naturâ suâ, seu actionibus suis convenienter intemperatis, similia appetuntur, ab iis vero qui morbidâ intemperie afficiuntur, contraria: quoniam ea dum alterantur alterant, & intemperiem adventitiam aut immodicam minuendo ad genuinam dispositionem propiùs accedunt. Nonn-ne in hoc contrariorum appetitu instinctus quidam animæ proprius. Chyli in sanguinem nutritioni & vitæ idoneum mutandi effectrix est ventriculi temperies, plus minus calida humida, quæ vasorum plurimorum in eum influentium, & circunstantium viscerum vapido calore adjuta, cibos quos, duobus oribus constrictis, complexu suo continet, emollit, & quadantenùs putrefacit, humidi à sicco diremptu. Ipse ventriculus è cibis mollescentibus succum paulo crassiorem elicit, qui rejectaneis supernatat, eumque sic alterat, ut nihil prioris misti retineat, eoque corrupto, novum mistum seu chylus generetur. Rejectanea vero in

* Gal. lib. 3. Meth. Terrap. cap. 2.

mista se ipsis imperfectiora degenerant, & ulteriori putredine cum fœtore inquinantur. Quædam tamen substantiâ & colore nihil aut minimùm mutantur, ut uvæ ursinæ Mauris ribes dictæ, cerasa, & betæ rubræ radix. In vivente adhuc animali, diviso ejus peritonæo, pluries compertum est * ventriculum assumptos cibos supernè infernèque & undique complexum, ac immotum, cibis quasi conjunctum adhærere, tuncque pylorum exquisitè claudi, velut os uteri in gravidis, sed absolutâ coctione reserari, eodemque tempore ventriculum complexus motu, intestinorum ritu moveri, ut chylum & rejectanea compellat in intestina. Immotus in chylosi peragenda ventriculus, ciborum tritum & fermentationem excludit. Ille fieret motu ventriculi spontaneo, & impulsu musculorum finitimorum; hæc seu spiritus se exolvere nitentis impetus, aut naturæ igneæ vel ignescentis sublimitatis avidæ contentio, eundem distenderet & amplificaret.

I V.

NON modo sine ciborum tritu chylosis peragitur, isque ad eam moliendam inutilis est, sed etiam isdem ipsam efficere non potest. Per molestum esset ventriculo tandiù percuti & contundi, quandiù cibi tererentur. Sed esto, iteratam percussionem non moleste ferat, triturâque cibos dispescat in corpuscula etiam individua seu atomos; quodnam principium corpuscula ista eo situ & ordine collocabit, qui requiritur ut ex iis componatur corpus liquidum, album, subdulce, homogeneum, quod contrahi possit. Et cum chylosis non ritè procedet, quænam pars invalida, & quo præsidio accingetur, ad motum meliori trituræ convenientem. Quoad fermentationem ciborum in ventriculo, unde petetur fermentum quo dissolvi possint. An à portione aliqua ciborum in ventriculi rugis superstite? An à succo à primæ ventriculi tunicæ glandulis expresso? An fermentum illud acidum, an alcali, aut utriusque particeps? Quomodò acidum & alcali in se invicem agent aut colluctabuntur, quæ ratione saporis & figuræ nihil contrarium habent, quo se ab eodem subjecto expellant? An alcali foraminibus ad patiendum gestiens, acidum ad congressum invitabit, quod ob angulatam, ut aiunt, figuram ad motum inhabile est? An præsto erit materia subtilis, quæ ut se retinaculis expediat, acidi aculeos seu cuneolos in alcali foramina intrudet? Nonne materia illa se in libertatem assertura, vacuos partium poros facilius perrumperet, quam acidùm in alcali adigeret. Verùm materia illa supra modum subtilis comprehendi non potest. Ipsamet informis actu & motu caret. Sola forma materiam perficit, corporatæque vim motricem impertit. Demùm quomodo positâ ciborum in ventriculo fermentatione, chylosis læsa redintegrari poterit? Quale demetur vel addetur fermentum, quo acumine vel foramine præditum? Undè accersetur materia subtilis, præsertim eâ quantitate

* A Gal. ut ipse refert 3. de Natural. function.

527

quâ tale acumen in tale foramen inducat? Cujus rei certa non est notitia, certum remedium inveniri non potest.

V.

HIPPOCRATES aphorismorum conditor, alimentorum coctionem, nutritionem, & accretionem, à calido nativo, putà frigidi, humidi, & sicci mistione temperato fieri scienter asseruit. Ventres, inquit, hyeme & vere naturâ calidissimi, & somni longissimi, ideoque copiosiora alimenta tunc temporis exhibenda. Item qui crescunt, calido innato exuberant, plurimoque alimento egent, ne corpus absumatur. Hæc veræ Medicinæ parentis dogmata, qui ob admirabiles artis successus perpetuâ memoriâ celebrabitur, religiosè observenda, si quæ ad finem salutaris professionis collineare, vario usu comprobatum est, repudianda forent, sola ad bene medendum experientia sufficeret, quæ tamen divini senis oraculo, judicio quamvis difficili dirigenda & stabilienda. Cave ne aphorismorum conditorem cum libri de veteri Medicina authore confundas. Hi multum inter se discrepant ratione principiorum, modi quo nocent, & curationis. Ille amarum, acre, acidum, salsum, insipidum, & alia sexcenta ignorabilia astruit. Hic calidum, frigidum, humidum, siccum, in artis suæ principiis ponit. Illi quod secretum est, morbum parit; idque coquitur dum remiscetur, aut tempestivè interdùm, à natura vel arte expurgatur. Huic secretum, aliquid febrile suppuransve coctum est, atque idoneum redditum quod excernatur. Idque si relinquitur, non remiscetur, sed recidivum morbum facit, vel in aliqua parte abscessum. Ideòque nisi coctum illud & secretum, à natura integrè judicatum fuerit, Pharmaciâ tollendum. Parvi interest scire, quis libri de veteri Medicinâ author fuerit, an aliquis ex sex Medicis ejusdem familiæ, Hippocratis nomine insignibus, an Polybius divini senis discipulus, qui omnes ferè simili stylo scripserunt. Sed constat rudimentum artis libro isto adumbratum, nullum progressum fecisse; divinumque senem, calidum, frigidum, humidum, siccum, naturæ coæva, sensibus obvia, & energitica, ad benè medendum accommodata expertum fuisse. Uno verbo calidum aliorum certâ temperatione determinatum, triplici alteratione alimentum coquit, ut id prorsùs assimilet.

Ergo alimenta eò ad coquendum faciliora quò propiùs ad ventriculi temperiem accedunt.

Proponebat Parsiis JOANNES-MATHÆUS LE BERT, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1715.

Typis JACOBI QUILLAU, Universitatis, & Facultatis Medicinæ Typographi.